

L. N. 7. C.

DISSERTATIO ACADEMICA,

**S T A T U M**  
**O E C O N O M I Æ,**  
 QUI HODIE OBTINET  
 IN  
**L A P P O N I A P I T E N S I,**  
 LEVITER ADUMBRANS,

---

QUAM

*Consensu Ampl. SENATUS Philof. in Reg. Acad. Aboënsi,*

SUB MODERAMINE

**MAG. JOHANNIS**  
**BILMARK,**

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

*Publico examini modeste subjicit*

**CAROLUS GUST. BERNH. ALENIVS,**  
 LAPPO-VESTROBOTNIENSIS.

IN AUDIT. MAJORI DIE X. DEC. ANNI MDCCLXVIII.  
 H. A. M. S.

---

A B O Æ

Typis JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO

*Admodum Reverendo & Præclarissimo,*

PASTORI Ecclesiæ Skellefteensis Meritissimo, & adjacentis  
Districtus, æque ac Lapponiæ Pitensis PRÆPOSITO adcu-  
ratissimo, nec non Reg. Acad. Scient. MEMBRO  
Dignissimo,

DOMINO MAGISTRO

PETRO  
HOGSTRÖM,

FAUTORI BENIGNISSIMO.



*Si verum sit, beneficia & merita eo usque cumulata, ut  
nullo modo rependi possint, in gravia abire, & quos  
tenent obstrictos, quia pares referre non possunt grates,  
ingratos veluti reddere, equidem ego, in quo tanta &  
tam conspicua, VIR Admodum Reverende, exstare voluisti  
favoris prorsus singularis documenta, omnium ingratus  
viderer. Absit autem a me quam longissime, ut in hanc,  
quam totus exhorresco, notam incurrerem, ut potius inge-  
nie profitear, mentem hanc, quam Tibi jam testor, gratissi-*

mo affectu accensam nullo non tempore fuisse. Fateor grave in aere alieno esse; sed illi viro libenter obstringimur, qui munera nec sperat, nec levissima spernit. Levissima, inquam, quale hoc, quod Tibi, Admodum Reverende Præposite, offero studiorum meorum specimen, quodque in sinum benevolentiae Tuae cernuus nunc depono. Circumspicienti enim mihi quem opusculi hujus susciperem Patronum, non occurrit cui magis vellem, cui magis deberem, quam Tibi illud offerre. Suscipias vero illud benigno vultu, si non alia de causa, attamen quia Tuo Nomine condecoratum sit, qua debeo mentis observantia, enixe Te obsecro: Judicium de eo Tuum humiliter exspectans, quod si benignum fuerit, habeo, de quo mihi impense gratulari possim. De cetero, cum eo usque in me Tuus processit favor, ut ultra vota mea, quid verba loquar, excreverit, nihil aliud mihi relictum est, quam ut ejus perennitatem mihi supplex apprecer. Quam si dederis veniam, felicem me prædicabit vel ipsa adversæ frontis fortuna. DEum interim ardentissimis sollicitabo votis, velit Te, in Patriæ & Ecclesiæ commodum, rei litterariæ decus, nec non Familiæ honestissimæ columnen, sospitem & incolumem quam diutissime conservare. Sic roveo futurus, dum aëre fruor,

ADMODUM REVERENDI NOMINIS TUI

humillimus cultor

CAROLUS GUST. BERNH. ALENIUS.

Anke - Fru Pastor[an] /

Dygådla Fru

**BRITA ALENIA,**  
**Född GRANLUND,**

**Min Huldesta Moder.**

**T**il prof, Min Hulda Mor, utaf et tackfamt sinne  
Upoffras Eder defa blad;

Jag wille at den skuld, som står uti mitt minne,  
Här trycktes ut på hwarje rad.

Er omsorg större är, än jag den kan betala:  
Den ömhet I mig wist, står intet at uttala.

En liten hugnad är, at jag för allmänheten  
Betyga får hwad ömt begär,

Som brinner i mitt bröst, upståndt af tackfaheten  
För all Er möda och besvär.

Men när Er Gåldenär ej mågtar Er förnöja,  
Låt dock til wanlig gunst hans upfät Eder böja.

**Min Huldesta Moders**

Indigte för

**CARL GUST. BERNH. ALENIUS.**



§. I.

**L**ande ab infantia, quantum præterita re-  
vocare possum, LAPPONIAM audivi  
jactatam, ut terram, civibus LAPPO-  
NIBUS dignam, & unice aptam, quam  
incolerent mortales, qui ceteris viliori  
sanguine creti essent. Quo convenire  
videntur ii, qui contendunt, Lappones tam diversa ab aliis  
esse natura, ut sine omni vita humana commoditate vi-  
vant, quasi eorum præcordia non e luto finxisset, sed  
ex rigidis, quibus cinguntur, cautibus exsculpisset Ti-  
tan. Hæc & alia, quæ de Lapponia passim prædicabantur  
immitiora, tantam animo meo imprudenti vim fece-  
runt, ut etiam si ibi natus essem, educatusque, Patriam-  
que venerarer, parum tamen abfuit, quin & ego alio-  
rum præjudiciis lucenturiari occæpisssem, Patriosque la-  
res, ut contemtissimos, abjurasssem. Verum tamen, oc-  
cassione postmodum data, diversas peragrandi regni pro-  
vin-

A

vincias, simulque earum situm & naturam considerandi, comparatione instituta, percepi, LAPPONIAM non adeo infelici sub sidere positam, quin potius incommoditates, quæ ibi reperiuntur, tales esse, quæ, accedente industria, aliquantum superari possint. Deinde, quum ex TACITO didicissem, GERMANIÆ faciem olim asperissimam fuisse, & experientia monstraret, multas regni provincias infantia squalorem nondum eluctatas esse, mecum constitui, quod commoda & incommoda terrarum ad exactam bilancem exigi vix possent. Quæ cum satis non perpenderent alii, sinistra eorum judicia, de plaga mundi arctoa ita invaluerunt, ut multi, qui solum vertere sibi proposuerunt, potius in exteris regionibus vagabundam degere vitam voluerint, quam in Lapponia penatibus suis commodam & tranquillam querere sedem. Allaborarunt quidem qui ad gubernacula Regni SUIO-GOTHICI sederunt, ut Oeconomiam Lapponiæ sublevarent; quem in finem, singulis huc commigrantibus omnium fere tributorum concesserunt immunitatem. Quæ molimina, speciosis triumphis potiora, in salutem quippe generis humani directa, intento non caruerunt successu. Aspera enim regio mitiorem jam cœpit induere faciem, quæ tamen discontinua est, una ejus parte altera cultiore prodeunte. Quarum unam, PITENSEM scilicet, ejusque statum Oeconomicum cum exponere conamur, Tuam, Benevole Lector, ambimus benevolentiam, sperantes Te, innoxiiis nostris conatibus facilem veniam, si oneri non suffecerimus, concessurum.

§. II.

LAPPONIA, de qua dicturi sumus, communiter PITENSIS appellatur, sumto cognomine ab urbe PITÄ, quæ

quæ iterum suum accepit a fluvio ejusdem nominis, qui per illam decurrit, marisque ostia attingens, huic alluit urbi. Hoc vero nomine a ceteris, UMENSI, LULENSI, &c. distinguitur; quocirca notandum, regionem hanc urbis territorio subjectam esse, ita ut nulli alii ceterarum urbium mercatores jus habeant, hanc LAPPONIÆ partem adeundi, commercandi gratia. Limites, qui Botniam Occidentalem ab illa distinguunt, distant a Sinu BOTNICO octo vel novem milliariis, unde si longitudinem usque ad Alpes Norvagicas computaveris, ferme triginta Suecica confeceris miliaria. Latitudo autem ejus ultra sedecim sese non extendit; adeoque area hujus LAPPONIÆ est 480 miliarium quadratorum circiter. Amplissima vero hæc regio, quæ regnum præmittere videtur, in duas tantum parœcias divisa est, ARVIDSJAUR, & ARIEPLOG, quarum hæc montibus Riphæis, illa Sinui BOTNICO vicinior est. Nec numerus incolarum amplitudini terrarum adhuc respondet; siquidem in ARVIDSJAUR trecenta viginti quatuor capita tantum, & in altera septingenta tria numerare liceat. Notatu quoque dignum est, quo etiam si probabile sit, numerum civium, qui hodie est, illum, qui olim fuit, vix exæquare, attamen ab anno MDCCXLIX usque ad præsens tempus, accessione sexaginta hominum ditata sit Parœcia ARVIDSJAUR, cum e contrario, eodem temporis spatio quinquaginta in altera desiderantur, ubi tamen nati mortuos centum viginti quatuor personis interea superarunt. Quam incolarum diminutionem inde repetendam putamus, quod ad NORVAGIAM emigraverint, id quod imprimis factum scimus, postquam Lapponibus interdictum fuit, BOTNIAM OCCIDENTALEM adire, & quam calamitates, vel a lue, vel a lupis imminentes, armenta eorum, quæ opulentiam ho-

rum populorum constituunt, confecerint. Quae emigratio eo magis arridet, valentiusque homines sollicitat, quod majore in opificiis suis apud NORVAGOS se fruituram libertate, vere, an falso, ego non dixerim, existime: natio libera, omnisque coactionis æque insueta atque impatiens.

§. III.

His in antecessum leviter tactis, res de Novalibus, in quibus excolendæ regionis spes consistit, oculis subjicienda est. Fatendum autem hanc LAPPONIAM, præ ceteris, sidere quodam maligniori afflatam videri. Nam ANGERMANNICAM scimus novalia quinquaginta admodum computare. Quid UMENSEM loquar? adeo in illa LYKSELE crebris enituit culturis, ut merito ambigi possit, an LAPPONIÆ nomen ulterius mereatur. Contra ea in LAPPONIA PITENSI non tantum ea hominum vestigia desiderantur, quæ in australibus videre licet, sed & borealiores palmam ei præripiunt. Sit tamen hoc ita dictum, non quia culturis per omnia careat, sed quod si contentio fiat, ceteri LAPPONIÆ tractus nostram post se longe relinquunt. In ARVIDS-JAUR enim quinque hodie sunt Novacolæ, qui decem annorum spatio eximia incrementa ceperunt. Horum novalia, imprimis unum, nomine GLOMMERSTRÅSK, magnam nobis faciunt spem felicioris culturæ, siquidem ex prospero ejus successu, alios posthac ad parem industriam extimulari posse speremus. Heic enim ager late jam patet, ubi confertissimæ quondam pini, solem terris denegavere; adeo simul fertilis, quam qui fertilissimus. Immo, licet paludes heic frequentes sint, tamen ne in serum autumnum quidquam detrimenti frigus segetibus attulit. Quod ad ARIEPLOG attinet, quanquam

Ri-



Riphæis montibus vicinior sit, non tamen adeo horrida est regio, quin hinc inde conspiciantur fertiles tractus, qui operam agricolarum largo fœnore se compensaturos promittunt. Id quod imprimis valet de lacuum HORNAVAN & STORAVAN, fluviorumque, qui hosce jungunt, ripis, quippe quæ sua amœnitate sedulos colonos quasi ad se invitant. Ad horum littora novem confederunt Novacolæ; attamen, cum hi ipsi matrem suam non sat reverenter & impigre colant, novercam eam experiri coguntur. Quid enim de quorundam labore sentiendum, qui cum avos & atavos numerent sedium suarum fundatores, vix tamen tantam colligunt messem, quanta vitæ sustentandæ per dimidiam anni partem sufficiat.

## §. IV.

Culpani autem cur hæc regio rarius sit exulta, in cœli asperitatem, terræ sterilitatem, montium, paludum silvarumque aridarum frequentiam, conjicere pura putam mihi videtur ignorantia. Nam præterquam quod ceteri adjacentes LAPPONIÆ tractus, iisdem, si ita vis, incommodis laborent, forte in ipsa SVETHIA reperire licet terras, quæ agnatam indolem, nec diversam faciem præbent. Huc imprimis VESTROBOTNIAM referimus, quam LAPPONIÆ simillimam reperiet viator. Quid vero cœli rigorem incusemus, cum ratio hoc malum corrigendi unicuique pateat, nobisque eo magis nota esse debeat, quod ITALOS ante septemdecim sæcula non latuerit. Sic enim PETRONIUS: *Incultis asperisque regionibus nives diutius hærent, ast ubi aratro domefacta tellus emittit, dum loqueris, levis pruina dilabatur.* Quod ad ipsum terræ solum adinet, concedimus

arenosos campos, lichene tectos, spatio<sup>a</sup> occupare loca; sed simul reperire licet amœnissimos valles, qui fecunditatem suam herbarum ubera messe produunt. Saltus pinis & betulis luxuriant, quarum succulenti rami nutricis benignitatem ostendunt. Nec riparum littorumque, quæ multum ubique æstimantur, penuria hic est; vix enim mille passus feceris, nisi vel fluvium vel lacum offenderis, tam piscatura divites, quam ubertate graminum, in ripis sponte sua nascentium, commendabiles. Non ignoro paludes, inter impedimenta culturæ in LAPPONIA KEMIENSI numeratas esse. Sed tunc oportet, terræ culturam ibidem & apud nos prorsus disparem esse. Quid aliis in hoc negotio usu venerit, in medio relinquimus; certum tamen est, neminem nostrum, animum ad sedes mutandas fore applicaturum, nisi paludes invenerit. Nec sine causa rem suam hoc modo aggrediuntur incolæ. Unde enim bobus, bestiisque corradere pabula, quarum lac, aliique proventus, utramque apud illos, omni fere alio victu destitutos, paginam faciunt? Adeo ut quæ aliis impedimento esse perhibeantur, unica hisce sint incitamenta, deserta quærendi loca, unica auxilia, quibus vitam sustentandam curent, unica ratio, qua ad solidiores opes conquirendas eant. Nec alio modo, quam paludum ope, telam fortunatoris sui status auspicati sunt finitimi LAPPONIÆ Novacolæ. Immo, si quis tentaverit ex primitiis laboris proprii victum & amictum quærere, oportuit eum, vel divitem fuisse, adeo ut egestatis molestias, si diuturna expectatione increbrescerent, non reformidaret, vel alio casu, in ipso aditu & laboris principio fortunam ad pœnitentiam suam redeuntem experiri. Quod igitur regio palustris sit, culturam minime impedit, saltem si initia respexeris. Si vero lar-

gas

gas nunquam præbeat messes, hoc novacolorum vel ignorantia, vel socordia adscribendum erit. Nec campi arenosi, lichene tecti, adventantibus per omnia inutiles sunt; sæpe enim dum gramina deficient, lichenum inde colligunt, & rigatum aqua bobus inde pabulum parant, quod salivam ipsis movet.

### §. V.

Quamvis non negemus, quod inter causas neglectæ per Lapponiam Oeconomiam merito referantur nimius incolarum defectus, desidia, & si quæ alia, sint his similia impedimenta, quippe quæ multum momenti semper & ubique traxerint; dantur tamen alia, quæ studium illorum admodum sufflamant. Quum enim in vicina VESTROBOTNIA plures sint, quam qui agriculturæ manus admovent, faciles credimus, quod instituta nonnulla, quæ libertatem populorum in eligendo eo, quod uniuscujusque indoli præcipue conveniat, circumscribunt, ingenii, ardoris, viriumque quasi restagnationem quandam producant. Si vero mitiora aliquando fata his populis majorem in negotiis & opificiis concederent libertatem, noxiaque tollerentur monopolia, nova etiam, eademque latissima, existeret rerum facies, adeo ut augurari liceat, quod HELVETIAM quandam prope Alpes nostras conspiceremus. Dicat forte quispiam, libertatem illam, quam populis meis indultam anxie cupio, in licentiam & turbulentam *πολυπραγμοσύνην* degenerare posse, omnium tamen experientia comprobat, quod ista minus noceat civitati, natura minus excultæ, quam censitica populi distributio in classes, & necessitas exercendi certantum fixaque negotia. Ex hoc enim fonte propullulant

lant monopolia, quæ ubi ingravescere ceperunt, popu-  
 lorum animos deprimunt, & miseriam horum, tam-  
 quam pedisequam, secum trahunt. Præter meritum va-  
 nam non esse nostram querelam, vel suo comprobat  
 Vestro-Botnia exemplo, quæ cum ante centum circiter  
 annos frumentis adeo abundaret, ut aliarum quoque  
 regionum inopiam sua copia sustentare posset, nunc  
 rursus ab aliis, care satis quotannis redimere cogitur,  
 quo vitam sustentent incolæ. Ad rem igitur nostram  
 egregie faciunt, quæ in Dissertatione Upsaliæ habita  
 leguntur: "*Quamvis decreta quædam, temere & præpropere  
 ausu in vulgus edita, plerumque contineant aliquid im-  
 moderati, ægrius ferendum successu temporis, fateamur  
 tamen, nulla nobis videri magis damnosa, quam Oeconomi-  
 ca, quæ potissimum distribuunt cives in certas classes &  
 ordines, sua singulis imponunt instituta atque negotia, &  
 fixam ad normam elargiantur jura, privilegia & immu-  
 nitates. Tum sane, posthabitis aliis æque ingeniosis &  
 forte industriis, impediuntur alii, quo minus studiis suis  
 obsequantur, & pro lubitu facultates virium imatas exse-  
 rant.* - - - - - *Hac ratione, seposito in  
 tempore debito scrutinio & examine, sunt innocenter  
 late turpiter cogentes, & industria omnis virtutis & li-  
 bertatis præsidia abeunt in contemptæ servitutis vincula &  
 ergastula, quæ stringunt ardorem, minuunt laboris curam  
 in necessariis comparandis, inferunt rerum omnium pauper-  
 tatem, & demum excitant invidiam, odia, & simultates,  
 donec, pulsis optimis civibus, amplè commutentur civitates  
 in vastas solitudines (a).* Sed ad LAPPONIAM, unde a-  
 liquantum digressi fuimus, revertimur. Inter instituta  
 igitur, quibus populi industriæ obices ponuntur, referi-  
 mus, tum quod novi incolæ, antequam difficultates,  
 quæ principia operum comitantur, eluctari potuerunt,

lustrationis negotio operam impendere teneantur, tum quod qui deserta adierunt, primasque molestias devorant, in possessionibus turbentur, succedentibus, qui has dubias reddunt, partitionemque institui possunt. Hinc oriuntur gravissimæ contentiones, pro quibus componendis, dum fora sollicitantur, opes exhauriuntur, & Oeconomia in hoc turbido statu admodum negligitur. Quæ perversa consuetudo tanto magis cohibenda, quod ex consensu omnium gentium, quod nullius est, cedere debeat primum occupanti. Qui canon si re ipsa in mea confirmaretur Patria, spondere ausim, quod grandes possessiones animum Vestro-Botniensibus adderent, in Oeconomiam incumbendi, quum inter liberos eas distribuere possent, ipsorumque futuræ felicitati & tranquillitati ita prospicere.

(a) De Synbo'o, plus ultra, ad lat'fundia Scientiarum applicato, sub Prædico Celeb. Prof. EKERMAN, Auctore PETRO HÖGSTRÖM. p. 17.

§. VI.

Forte autem nobis quispiam objiciat: Quod quamvis incommodis modo memoratis ceteræ etiam LAPPONIÆ laborent, in illis tamen, teste experientia, Oeconomia lætius efflorescat. Enimvero & hujus differentię duplex afferri potest ratio; primo enim paria instituta in diversis terris disparem sortiuntur effectum, prout illi, qui istorum exsecutioni invigilant, majorem minoremve solertiam & curam adhibuerint. Quocirca in partem nostræ querelæ veniunt cives PITENSES, quorum nonnulli, lucrum tantum spirantes, Oeconomiam per vicinam Provinciam, Laponiamque, si non directe, indirecte tamen impederunt, saltem non promoverunt. Deinde in ceteris LAPPONIÆ tractibus præstantiores sunt fundi Sacerdotales (Prästebel), quorum colendorum causâ, Sacerdotes necessum habuerunt famu-

los & ancillas e VESTROBOTNIA conducere; indigenæ enim, quantam curam adhibuerunt multi, rei rusticæ ægerrime assuescieri possunt. Hi autem famuli, opera sibi injuncta curantes, occasionem habuerunt situm regionis perlustrandi, naturam ejus experiendi, loca opportuna eligendi, in quibus paullo post penates suos constituerunt, in eo elaborantes, ut ditiones suas sensim augeant, quo liberorum suorum saluti, auctis & exultis latifundiis, prospiciant. Contra ea in ARVIDS-JAUR & ARIEPLOG fundi jam nominati adeo steriles sunt, ut industriam colonorum quasi eludant, & oleum operamque laborantium plerumque perdant. Si itaque unquam fuerit, ut inhospita hæcce loca cum melioribus, qualia plura offerunt circumjacentes tractus, commutarentur, messesque collectæ ostenderent, pretium futurum, famulos carius conducere, nulli dubitamus, quin vicinæ plagæ riderent, & frequentioribus gauderent incolis.

#### §. VII.

Quod autem novi habitatores in hunc usque diem in terræ cultura majores non fecerint progressus, caritati imprimis annonæ & pecorum penuriæ, ex qua VESTROBOTNIA hæctenus laboravit, erit tribuendum. Quam enim hi, qui remotas petunt regiones, omnibus plerumque fortunæ bonis sint destituti, nec sementem, nec pecora, nec alia vitæ sustentandæ adminicula sibi comparare valent. Et quam hac ratione agrorum debita stercoreatio & opportuna consitio valde impediuntur, in eodem semper hærebunt luto; nec vicinas terras rite colentes, nedam fundorum pomæria extendentes. Dum vero ita vitam per extrema quævis trahunt, nihilque inveniunt, quod certæ glebæ illos adfigeret, alio se vertere coguntur, exquirentes, unde imperiosis  
suf-

sufficiant necessitatibus. Quamobrem, more veterum FENNORUM, quorum spes, teste TACITO, in sagittis consistebat, varia venatione tempus ducunt, sed quo, in illis præcipue regionibus, proficuo vitæ genere ita deinceps distinentur, ut eodem postea vacare ægerrime queant. Pars alia, prout occasio & commoditas regionis ferunt, piscibus captandis occupatur; nonnulli utramque conjugunt venationem; immo tamdiu per silvas & montes vagantur, & flumina tranant lacusque, donec terræ cultura in desuetudinem abeat. Id quod imprimis valet de iis, qui ad littora lacuum STORAVAN & HORNAVAN confederunt. Pisces autem, quorum magnam nonnunquam consequuntur copiam, ad VESTROBOTNIAM deportant, & permutatione facta, frumentum sibi comparant, quam vitam sustentandi rationem commodissimam putant. Sed si contingat, quod accidisse novimus, ut neutra venatio satis larga fuerit, aerem & aquam se temere arasse sentiunt, duraque paupertas ita illos adfligit, ut paleis frumentorum & corticibus arborum latrantem stomachum comperere cogantur.

#### §. VIII.

Ex iis, quæ in medium hætenus attulimus, satis constat superque, quam parum in Arctoa hac regione hætenus successerit terræ cultura. Vana etiam spe sese læctat, quisquis crediderit, ab indigenis hoc opus præstitum iri. Lappones enim terra, ut vestibus, utuntur, ipsamque, prout ferat occasio & commoditas, mutare non dubitant. Ubique enim locorum, ut fors tulerit vel defectus, palantes alii incerta figunt domicilia (α), alii autem determinatas habent sedes, verum in diversis locis positas (β); decerpisque hic & illic obviis naturæ muneribus, terram relinquunt, nec cultam, nec omnino desertam, quippe

in qua vestigia hominum conspiciuntur. Credunt quidem nonnulli, hos etiam aliquando, deficientibus Rangiferorum gregibus, qui non raro luporum, luis, vel quum iniqua inciderint tempora, famis victima esse solent, ad terram colendam animos fore applicaturos, quemadmodum alibi factum legimus; sed vereor, ne vanam hi conceperint spem, quippe gens nostra & aviti moris est tenacissima, & insuper libera ac defultoria vivendi ratione adeo delectatur, ut in certo & fixo loco diu consistere nequeat. Præterea labor improbus, curvusque arator, quo libamine molliri & quo ambitu circumveniri gaudet tellus, adeo popularibus meis displicent, ut nescio quid non potius tentent (γ) quam urgentem victus inopiam, modo aliis consueto, levare conentur. Cui tamen nostræ opinioni non contrariatur tritum illud apud Vestrobotnienses de Lapponibus proverbium: *Margen lörr val lappen staut.* Ipsa enim venatio est illud vitæ genus, quod Lapponibus maxime arridet. Esto etiam, quod Lappones famelicum stomachum spe incertæ prædæ per aliquot dies lactare & fallere cogantur, hoc tolerabilius putant, quam expectatione certiori licet nixi, semina terræ mandare, in messëm & certum illis auxilium surrectura. Nec satis illis est, in rem agrariam non incumbere, sed longius, invidiæ scilicet œstro perciti, progrediuntur, & aliis meliora edoctis, operisque manus admoventibus, quantum penes ipsos est, continua obijciunt impedimenta. Sed & hoc negotium, qua sunt animi levitate, præpostere aggrediuntur, ubi enim olfecerint, Suecum quemcunque terras eorum perlustrasse, eumque sedes ibi collocandi studio trahi, mox vaccam vel unam alteramve capellam coëmunt, sibi persuadentes, quod hoc prætextu, totam, quaquaversum patet, terram sibi ipsis vindicare possint, aliorumque adventui firmissima objecerint repagula. Quæ vero cum illos

fesellit



fefellit opinio, adminicula sua Rusticana, vaccam, capellamve adventantibus hospitibus alendas tradunt, butyrum tamen, quo valde delectantur, in solatium quasi & omnium molestiarum oblenimentum reposcentes.

(a) Lappones in duos præcipue ordines dispesci solent, Montanos scilicet & Sylvestres. Montani dicuntur, qui quum pecoribus satis pabuli non præbent terræ illis additæ, ad Alpes, quæ Norvagicæ dicuntur, tempore vernali sese conferunt, autumno ingruente ad pristina loca reversuri. Per hiemem autem saltus inhabitant, quibus autem pecoribus alimenta necessaria non sup-  
 peditantibus, usque ad communitates, (almånning), quæ inter Lapponiam & Vestrobotoniam jacent, descendunt. Sic incertis sedibus errantes tentoria ex pannis confecta, quibus se contra tempestatum injurias defendunt, in illis erigunt locis, quæ Lichenibus luxuriant.

(b) Sylvestres dicuntur, qui suas non relinquunt terras, ut ad Alpes commigrent. Hi pluribus in locis ad lacuum imprimis ripas constructa habent tuguriosa, corticibus tecta, quarum fundatione commoditatis, piscationis, & venationis rationem præcipue habent. Non distentur, quin per hæc loca peregre proficiscentibus delectationem præbeant ista mapalia. Nam parva circum hæc videre licet vireta, quæ pingui pecudum fimo imprægnata herbis & foliis luxuriant.

(c) Potius enim mendicando, pecora vicinorum Rusticorum pastum du-  
 cendo & custodiendo, nec non piscationibus & fœnicicis operam locando, vitam transigunt, quam cultura terræ sese tradunt. Quamobrem etiam Siggar-Lappar, Gesar-Lappar, Siffar-Lappar, Elått-Lappar, communiter nuncupantur.

### §. IX.

Quod ad horum omnium diversam Oeconomiam attinet, adeo succincte illam exposuerunt Viri Clarissimi, SCHEFFERUS & HÖGSTRÖM, ut qui ipsorum instituta proveheret, lampada forte soli adderet. Quadrant autem in istam gentem in hunc usque diem, quæ de ejus vivendi ratione memoria produnt Duumviri hi Præstantissimi, & adeo similis est majoribus suis, ut si superstitiones quasdam exceperis, quæ jam, exorta clariori Religionis luce, profligatæ sunt, & quasdam demas morum mutationes, quas paupertas, rigida illa  
 Magistra

Magistra, introduxit, eandem profus indolem in nepotibus adhuc spirare animadvertes. Horum autem, ceu notum ponimus, Oeconomix cardo in eo totus vertitur, ut greges Rangiferorum valeant & auferant, quas cum pestifera lues, voraces lupi, vel anni graviores, (qui tum præcipue imminet, quum nix, quæ primo cadit autumnò, mitiori aura liquefeit, subitoque deinceps frigore in crassam glaciæ crustam convertitur, ita ut Rhenones illam distinguere & lichenem carpere non possunt) conficiunt, squalida illos minuat paupertas. De cetero notandum, quod LAPPONES Montani plerumque ditiores sint sylvestribus, quas opes inde arcessimus, quod præcipuam gregum fuscum curam agant, quos pernox & perdiu curant; canibus fatelitum vice fungentibus, ipsos javantibus agunt, continent, dispersosque recolligunt. Si præmia laborum queras, habent iac, caseos, carnes sapidissimas, aliosque felicitis gregis reditus, qui vitæ commoditatis, quantum ipsi desiderant, inserviunt. Contra ea, quum Sylvestres piscando & venando distineantur, custodiam Rhenonam plerumque negligunt, quamobrem pecora eorum quoad maximam partem soluta vagantur, & feris, si iniqua ita tulerint fata, pabula præbent, saltem ita feroces redduntur hæc bestia, ut illas deinceps, tamquam alias feras, venari & prosternere cogantur. Hinc est, quod incolæ in Paroecia ARVIDSJAUER, quæ Sylvestribus gaudet LAPPONIBUS, pauperiores sint, quum Montani, quibus ARIEPLUG quoad maximam partem inhabitatur. At tamen documentis minime falsis inducti credimus, illam scilicet ARVIDSJAUER opulentiorum quondam fuisse. Nam & ipse memoria revocare possum, quod hunc ita pridem turbæ hujus Rangiferinæ non Lapponiam tantum, sed adjacentem Vestroborniæ partem impleverint, rusticique venantibus exoptatissimam prædam obtulerint. Sedecim autem abhinc admodum annis ita ad incitas redigebantur, rabida imprimis luperum laniena, ut parum absuerit, quin cum tota hac animalium stæpe in istis regionibus actum conclamatumque fuisset. Quis, quæso, miretur, quod Lappones ingenti hac clade accepta, ad Vestroborniam catervatim se contulerint, mendicando vitam sibi querituri. Quum vero hoc illis interdictum esset, & præterea sacerdotibus profugos auditores reposcerent, inter cuneum & malleum res eorum sane versabatur. Et certe fame extincti fuissent, si quis vagantes per vicus & villas rusticorum persecutus fuisset, & noventes volentes ad patriam retraxisset. Annis autem novissime elapsis, exhaustas vires recuperare ceperunt, quas indies augeri nullus dubito, usque dum insaufus ille hospes, Lupus, incautos & securos aggrediens, novas edat strages, pristinaque miseriam reducat. Interea venationi & piscationi multam navant operam Sylvestres, nullis vel diei vel anni temporibus ab hoc labore vacui. Lappones etiam opificiis, quæ ipsorum genio conveniunt, occupantur. Præterquam enim quod vestes sibi consuunt, caseos conficiunt, filaque ducunt, ad retia texenda, funes etiam torquent ex tenerioribus arborum radicibus. Varia quoque

utensilia lignea, ut patinas & crateras affabre elaborant, quæ cum vendunt, duplum frumenti, cujus capacia sunt, plerumque in pretium reposcunt. Ex hoc autem frumento, panem non conficiunt, nam ejus usus per Lapponiam nondum increbuit, sed pulmentis illud & forbilibus impendunt. Fallunt autem & falluntur quotquot credunt, quod sine sale victitent. Hoc enim adeo necessarium ducunt, ut si forte defuerit, decem & ultra milliaria proficisci ad proximam urbem non dubitent, cervicique, si æstas fuerit, impostura domum reportent.

§. X.

Quum itaque multis indigeant Lappones, nec commode fieri possit, ut unaquæque familia urbem vicinam adeat, necessarias res sibi comparatura, nundinas, a Regina glorios. mem. CHRISTINA concessas, heic celebrant civitates Pitenses, quæ in finem mensis Januarii & in initium Februarii incidunt. Merces suas non equis, propter iniqua viarum pabulique penuriam, sed ransgiferis imponunt, quos Lappones deducunt & reducant. Ipsa mercatura partim mercium permutatione, partim pecuniis peragitur. Lappones autem coria Rangiterina, pelles pretiosiores, pisces, caseos, carnem &c. afferunt, pro quibus farinam, sal, pannum, plumbum, utensilia ferrea, cuprea, argentea &c. a mercatoribus sibi comparant. Ante omnia vero tabacum & vinum combustum vehementer cupiunt; & nisi hac promisside deliniantur, tota mercaturæ ratio manca evadit & frigida. In contrahendo autem Lappones antiquum observant rerum pretium, quod cum annis proxime præterlapsis, tanta necessitate coacti, mutaverint mercatores, ipsum commercium magis magisque decrevit. Decrescet autem, quamdiu mercatores juramento quasi se obstringunt, antequam nundinas adeunt, se exigua admodum pretia pro mercibus quibusvis oblaturos, ut eo magis lucrum non sine Lapponum detrimento percipiant. Non tamen sibi defuerunt Lappones in hoc rerum articulo, sed quum artificia mercatorum cognoscerent, valde indignati ad alias Lapponia Nundinas, quidam Lykselentes, alii Jokmoekenses convenerunt. Heic autem optimas merces divendere solent, futiles autem Pitensibus fere servant, & sic attem arte nova eludunt. Fastidium igitur oppidanos, & cum rusticis potissimum mercaturam instituunt, quam, si modo permessa esset, regioni proficuram vix dubitamus. Præterquam enim quod utrisque hoc modo consulatur, facile per hanc conversationem, rustici exuerent sinistram, quam de Lapponia sibi formant opinionem, & forte ad hæc loca commigrarent. Quid? quod Lappones etiam deponerent odium, quod in Suecos conceperunt, nec stimulis invidia se in transversum ita rapi paterentur, ut occultarent loca, quæ scirent cultura esse aptissima.

§. XI.

In Lapponia Pitensi nullæ nunc temporis res metallicæ tractantur. Novimus tamen, quod, sedente ad Gubernacula Regni Svio-Gothici CHRISTINA,

argentifodina, pretioso hoc metallo locuples, culta fuerit, quæ sita fuit ad Nazafili in confinio Regnorum Suehiæ & Norvagiæ; quod opus auspiciis Baronis ERICI FLEMMING agitabatur. Paulo post in gravissimo bello, quod Sueci cum Danis, Duce Rege fortissimo CAROLO GUSTAVO, gesserunt, Dani Anno 1658 hanc fodinam eversam obruerunt. Non ægre hanc rerum Catastrophen tulerunt Lappones, quippe qui quamdiu hoc duravit opus, duram admodum sortem subierunt, ita quidem, ut nisi hæ terræ fauces opportune fuissent clausæ, cum Laponibus Pitentibus, imprimis montanis, actum omnino fuisset. Cogebantur enim per Alpes & iniqua loca tam metallorum massas, quam ligna aliasque res necessarias Rangiferis suis vehere; quos cum viderent tantis oneribus impares sub eisdem miserandum in modum deficere, imperata facere detrectarunt, sed propter quam tergiversationem gravissime addicti fuerunt. Horreo, expositurus genus pœnarum ab omni humanitate alienum, quo suos majores adfectos fuisse, conqueruntur (vere an falso certe non dixerim) adhuc Lappones, dum eos ad sui obsequium redigere vellent fodinæ administratores. Scilicet in lacubus glacie constructis, duas aperturas parum a se distantes formarunt, Laponemque fune circumligatum, & frigidissimæ aquæ immersum ex una ad alteram sub glacie duxerunt, donec novam perpetuamque promitteret obedientiam. Hinc forte quoque est, quod torvis adhuc intuentur oculis quicumque de re metallica coram ipsis mentionem faciat. Et si acciderit, ut quis venas metallicas indagandi proposito huc accedat, & Lappones viæ ductores postulaverit, nihil proficiet, quum ipsi mala quævis dirissima, immo mortem ipsam omnibus suis minentur, qui venam quandam sibi perspectam alii monstrare ausus fuerit. Si opus adeo proficuum, quod in oculis fides in oculis est, aliquando succederet, sacerdotum opus est ministerio, qui cum per terras eorum vagantur, omnes angulos sibi perspectos reddere possunt. Quid verò ab harum rerum ignavis expectari potest, siquidem non tantum exasciata cognitio sed multiplex etiam industria requiratur, si quis ex obsecris terræ visceribus absconditos thesauros eruere velit. Optime igitur reipublicæ consultum foret, si illi, qui ad hanc provinciam mittendi sunt, antistitem benevolentia confirmati, stipendiis, cum Academiis frequentant, sublevarentur, ut non Theoreticas tantum partes Mineralogicas ediscere, sed practicas etiam tractare & chymicas possent. Quod si contigerit, spondere ausim, quod non metallicas tantum venas proderent, sed quoque copiam rerum curiosarum hinc reportarent solertes naturæ scrutatores, atque ita occasionem impetrarent tam augendi regni cominoda, quam celebrandi Summi rerum omnium Moderatoris bonitatem &

GLORIAM.

